DE DIAGNOSEOS DIFFICULTATE IN MEDICINA. DISPUTATIO INAUGURALIS...

Joseph Wollemborg

24

DE
DIAGNOSEOS DIFFICULTATE

IN MEDICINA

DISPUTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS HONORES IN ARTE MEDICA

ASSEQUENDOS

IN VETUSTISS. AC CELEB. ARCHIGYMN. PATAVINO

PUBLICO EXAMINI PROPONIT

JOSEPH WOLLEMBORG

PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINII

M. DCCC. XXX

VIRO · PRAESTANTISSIMO

FLORIANO · CALDANIO

PHILOS. MEDICINAE . ET . CHIRURGIAE . DOCTORI
IN . LYCEO . MAGNO . PATAVINO
ANATOMIAE . PROFESSORI . CELEBERRIMO
XL . VIRO . SOCIETATIS . ITALICAE . SCIENTIARVM
INTER . SOCIOS . HONORARIOS . ADLECTO . CAES.
ACADEMIAE . JOSEPHINAE . VINDOBONENSIS
INSTITVTO . BONON. REGIAE . ACAD.
SCIENT. BEROLIN. TAVRIN. NEAPOL. REG.
SOCIETATI . SCIENT. GOTTING. ERLANGEN.
SOCIET. MEDIC. PARISIENS. PARMEN. LVCEN.
NEAPOL. SOCIET. PHYSICOR. ET . MEDICOR.
QUAE . BONAE . EST . ACAD. SCIENTIAR.
PONTONIAN. PATAVIN. ADSCRIPTO
PRAECEPTORI . BENEVOLENTISSIMO

JOSEPH WOLLEMBORG

Cum ad Medicinae lauream consequendam mihi proposuerim de morborum diagnosi sermonem habere, operae pretium duxi, praecipuas colligere et per summa capita recensere difficultates, quae, ut recte instituatur judicium, saepe saepius occurrunt. Neque vero mente excidit, in tanta praesertim

ingenii mediocritate, quam arduum mihi esset clarissimorum Praeceptorum exspectationi satisfacere. Attamen quum Tuam erga me summam humanitatem et benevolentiam haud raro expertus sim, nihil mihi potius est, quam in obsequii argumentum Tibi instituere hunc libellum; pro certo habens ipsum Tuo nomine insignitum sin minus laudem, saltem omnium indulgentiam consequuturum. Vale.

Dabam Patavii Nonis Martii An. MDCCCXXX.

In Medicinae exercitio pene semper animadvertimus, quod medici apud vulgus parvi aestimantur et facile contemnuntur; dum isti persaepe plus justo sibi arrogant, ita ut nimis confidenter in aegrotantium curationem intendant, atque illos sanitati omnes restituere audacter praesumant. Fortasse vulgaris opinio ex ipsa medicorum agendi ratione pendere potest, vel etiam ex eo quod omnino ignoratur artis dignitas atque excellentia; de qua in Oratione pro Q. Ligario illustris Philosophus Romanus ita eloquutus est: *Homines ad Deos nulla re propius accedunt, quam salutem hominibus dando.* Aliunde illa medicorum inconsideratio nisi inscitiae, certe eorum imprudentiae tribui debet, quoniam nihili faciunt difficultates, quas nobis offert recta morborum diagnosis, cum hoc judicium maximi sit ponderis ac momenti, illique innitatur praecipuum medicae therapiae fundamentum. Quare jure meritoque ait Hippocrates: *judicium difficile:* et alibi: *Medicus sufficiens ad morbum cognoscendum, sufficiens est ad curandum.*

Non defuit revera quispiam, qui cum didicisset nonnullis febribus mederi administratione cinchonae, sibi praeceptum imposuit cinchona utendum esse ubi aliqua febris existat; qui sane error perniciosissimus fuit, et mortem pluribus intulit.

Quod autem ignosci non potest quibusdam praestigiatoribus est arrogans illa ostentatio se recte et scienter suam operam adhibuisse, quin artis difficultates nunquam in medium proferant. Et sane ii omnes qui morborum originem nonnisi stheniae atque astheniae tribuunt, tum et ii qui in omnibus morbis autumant causam inhaerere stomachi pituitae, et alii demum qui solam phlogosim statuunt esse principium omnium morborum, quaelibet praecepta recusant, et vel infaustos curationum eventus contemnunt, propterea quod astheniam, putredinem et phlogosim in cunctis aegris vident et curant. Oh pulcherrimarum artium ars infelicissima! Quod ars *longa* appellata fuit, ejusque *experimentum periculosum et difficile judicium*, patuit campus conjecturis, et brevis fieri posse credita est, arbitraria experimentorum interpretatio atque audax judicandi confidentia praevaluit. Quamobrem mihi hodie propono de hoc judicio, videlicet de morborum diagnosi coram Vobis in tanta hac luce loqui, Praeceptores sapientissimi, in qua debeo aliquod meorum studiorum specimen Vobis exhibere. Utinam vestra humanitas mihi arrideat, quantum ego oneris et officii gravitatem sentio, ac judicii severitatem pertimesco! Quamquam cultores quemadmodum estis, fe-

racium atque sterilium agrorum, minime recusabitis debilis plantae fructus excipere, adeoque cumulum addere liberalitati et benignitati, qua me semper devinxistis, cujusque memoria erit apud me uti grata, ita sempiterna.

Quibus autem principiis innitatur diagnoseos studium indicavit Celius Aurelianus, cum accurate cuicumque morbo adsignavit indicia propria et distincta ; et patefecit De-Gorter, qui primum Hippocratis Aphorismum commentatus est : *Judicium in Medicina nititur praemissis, ex quibus perpensis medicus judicat quaenam sit ipsius morbi causa, et quomodo tolli possit, aut debeat* (Medic. Hippocr. pag. 3). Quidquid autem occurrat ad idoneam morbi cognitionem, exacte et praecise statuit Fernelius : *Equidem nunquam ullum plane cognitum penitusque perspectum morbum esse putaverim, nisi compertum habeatur, et quasi oculis cernatur quae in humano corpore sedes primario laboret, quis in ea sit affectus praeter naturam, unde is processit, utrum ea sede genitus protopatice an aliunde symptomatice, an denique causa aliqua interior illum foveat.*

Ipse De-Gorter fatetur difficultatem, quam in dijudicando medicus habet, et Van-Swieten sententia diagnosis est *evidens cognitio morbi praesentis distinctissimi ab omni alio.* (Comment. in Boerh. Tom. I. pag. 27). Et revera morbus constituitur ab statu praeternaturali aut abnormi interiorum exteriorumque conditionum, a quibus actiones

reactionesque vitales pendent, et per quas observatur perturbatio alicujus functionis iisdem respondentis: quaelibet functio exercetur a peculiaribus organis, atque mutationibus subjicitur, sicuti plures et variae possunt esse causae, quae pariunt ac temperant hujusmodi mutationes. Quapropter nec veram naturam atque sedem morbi indagare poterit ille medicus, qui se instructum et locupletem minime sentiat iis omnibus cognitionibus, quas percipere potest ab Anatomia descriptiva, Physiologia et Pathologia. Enimvero medicum monet ac docet celebris Valsalvae exemplum, qui cum judicasset quemdam aegrum jecinoris vitio occubuisse: *Cadaveris sectio,* inquit,*mei judicii detexit errorem* (Morgagni Epist. XX. § 30.), propterea quod jecur sanum est inventum, quum in pectore morbi fomes aleretur. E contrario quam saepe affectiones hepaticae illas pulmonis simulant! Hominum proclivitas ad diversas affectiones, quae varie gignitur a constitutione, habitu, temperamento, idiosyncrasia singulari, modo regit, modo impedit ac turbat rectam diagnoseos institutionem.

Quidam adolescentulus ex. gr. laborat rheumatismo, et manifesta indicia praesefert diatheseos strumosae; neglectus ab initio morbus augescit et jam phthysis imminens periculum declaratur: alter accersitus medicus inutile existimat incipientis phthysis curae attendere, strumosum principium adoritur, et aeger sanus fit. Error est medicorum, ait Ballonius (Consil. 108.), ex sputo sanguineo pleuritidem

et pulmonis affectionem judicare. Apud Coum Medicum habemus historiam Pythionis, qui sanguinem expuit quin peripneumonicus aut pleuriticus esset. Ac si de morborum causis verba faciamus, satis est considerare, infinitam propemodum esse earum seriem, multiplices variosque evadere effectus non solum in diversis hominibus, sed etiam in iisdem ipsis propter dissimilia rerum adjuncta, vel ob simultaneum concursum, vel ob ignotam agendi rationem, unde evenit, ut difficillimum sit veras morborum causas statuere, quarum actione sublata enatus morbus facile tolleretur. Quot quamque varias ac miras affectiones generat vermium praesentia, aut moralium causarum vis!

Hinc persaepe illuditur medici spes, qui quum causarum ac symptomatum indolem et naturam possit nullo modo cognoscere, licet omni cura et studio in hoc incubuerit, clariores notiones sibi pollicebatur ab ingenua aegroti narratione, qui eumdem praeteritas ac praesentes affectiones et adjuncta doceret. Quamobrem si aegrotus medico abdat atque dissimulet quae sibi antea acciderunt; velit autem medicus ex his judicare, quae tunc sub suos oculos cadunt, facile fallitur.

Antonius Marius in hac urbe librariam artem exercens saepe veneris morbis afflictus fuit; nec quibus remediis convaluerit, plane innotuit. Lente in pejus ibat, et ad extremum imi ventris dolore agitatus quidquid sumebat, statim vomitione ejectabat. Illico accessit febris et marcor, et de stomachi vitio et

fortasse de pylori scirrho dubitatum fuit. Hic multis abhinc annis aegerrime urinam emittebat, et cum istiusmodi morbo jam fuisset adsuetus, adjunctum illud medico minime manifestavit, et proinde omnibus irritis remediis vitam finivit. In hac I. R. Universitate coram plurimis studiosis adolescentibus facta est sectio cadaveris, in qua stomachus sanus repertus est, sed ita extensa vesica urinaria, ut ad duos digitos transversim super umbilicum extolleretur, et adversus stomachum impelleret omnem intestinorum massam, ex qua pressione obstinatissima vomitio oriebatur. Ex sola igitur diligenti cadaverum sectione educi possunt verae et solidae cognitiones, quae prolati judicii veritatem aut errorem de monstrant. Et quoniam diximus in supra exhibito exemplo institutam fuisse diagnosim ex vomitionis indicio; quis errorum dubiorumque fons enascitur, ubi symptomata aut indicia tantummodo perpendantur? Si in medicorum libris praecise et clare omnis phoenomenologicus apparatus morborum enuntiatur, non semper in praxi quilibet morbus propositis notis atque signis stipatur ac distinguitur, vel non eodem tempore signa ipsa morbum comitantur, vel non a simul conjunctis indiciis tuto componitur. Ex quibus necessaria judicatur ea distinctio signorum, quae a Pathologis instituitur, nimirum in signa *physica, rationalia,* et *sensibilia* cujuscumque morbi; unde alia numerantur inter *anamnestica* vel commemorativa, àlia inter *diagnostica* proprie dicta, et alia inter *prognostica.* Attamen haec signa diagno-

stica, quibus directe morbus dignosci potest, diversis morbis communia sunt, ac propterea medicum facile in errorem inducunt, et ideo vocantur *aequivoca;* aut si cum morbo vere conjuncta aegritudinis naturam indicant, appellantur signa propria, univoca, distinctiva, *pathognomonica.* Ad aliquem revera morbum spectat evidens signum pathognomonicum, dum in aliis e complexu plurium signorum deducitur; quandoque vero symptomata sympathica praevalent localibus et pathognomonicis, aut desunt omnino haec ultima. *Rarum esse* (scripsit Morgagnius Epist. XX § 31) *ut in medicina facienda uniuscujuslibet morbi signa universa concurrere videamus.*

Quis nescit quam ambigua sint signa rationalia, ut judicari possit de calculi praesentia in vesica, de aneurysmate in thoracis cavo, aut de dyspnaea ac tussi ad indicium pleuritidis, quum non adjungatur etiam punctorius dolor lateris cum pulsu duro et febri?

Quot dubia et incertitudines adhuc restant in pulsuum doctrina, quae infinitis varietatibus subjicitur, quaeque tamen primum et nunquam neglectum medico offert subsidium, quo studet cognoscere et metiri, quanto citius fieri potest, indolem et intensitatem praesentis morbi! Illud tantum sufficiat dicere, singulos homines in pulsu habere propemodum rhythmum quemdam plane suum, nec aliquos deesse, qui etiam in bona valetudine habent pulsum intermittentem, regularem vero in febre. Stoll celeberrimus ille Practicus scriptum reli-

quit (Meth. Medendi P. VI. pag. 272.) *pulsum fallacissimam rem esse, eum alium atque alium esse prout aetas, sexus, temperamentum, assumpta variant; alium sedenti, alium cubanti, stanti alium; alium si animus curis vacuus sit, alium homini tristato, sollicito et pro quavis ferme attentiori cogitatione alium aliumque.* Quod prius etiam Celsus affirmaverat in suo libro 3. *Venis maxime credimus, fallacissimae rei; quia saepe istae lentiores celerioresque sunt et aetate, et sexu, et corporum natura;* ita ut jure meritoque scriberet Swieten: *sanitas unicuique homini privata sua est. etc.* § 193. loc. cit. Quid nunc dicam de tenebris, quae saepissime obumbrant veram sedem ac naturam organicarum interiorum laesionum, quae propius humanae vitae minantur?

In morbis encephali difficillima est diagnosis, ubi praesertim judicandum sit utrum hujusmodi viscus primario vel secundario afficiatur, et utrum substantia an membranae solummodo laborent. *Caveant medici praedicere, scilicet deprehensuros se aliquid in capite eorum, qui morbo cerebri obierunt.* (Stoll. Part. VI. pag. 259).

Morbi cordis et pericardii, habita ratione indaginum celeberrimorum Corvisart, Testa, Kreysig et caeterorum, adhuc obscuri sunt, ac raro quidem medicorum diagnosi respondent. Facilis est pulmonis affecti diagnosis, at difficillima quae de morbis hepatis instituitur.

Paucis abhinc annis clarius innotescunt plures

stomachi et intestinorum aegritudines, quae tamen multimodis adhuc medicum fallere videntur. Huc pertinet observatio necroscopica a Joanne Baptista Bellinio in suis epistolis clinicis evulgata (p. 112), in qua declarat vehementem laesionem stomachi aneurysmatis praesentiam simulasse, eumque simul cum aliis medicis in errorem induxisse. Quare nunquam satis laudandae cadaverum sectiones, cum hae non raro mirifice vel experientissimos Professores ab errore revocarunt, et in causa fuerunt ut obscurissimi morbi dignoscerentur, et arrogantes quidam et infimae notae medici innotescerent. Illud etiam observandum occurrit, opportunae diagnoseos institutioni valde conferre formam, stadium, intensitatem ac terminationem morbi, et diathesim vigentem, et conditionem pathologicam et reliquas mutationes, quae non semel morbi ipsius adspectum immutare valent.

Nec vero recte poterit statui prognosticum et conveniens cura therapeutica, nisi judicium diagnosticum numeris omnibus absolutum sit. Hinc indagetur oportet utrum morbus sit universalis, an localis; utrum afficiat potentias vitales, an facultates organicas; utrum sit simplex, an compositus, an complicatus, illud animadvertendo ne illusio fiat ob plurium symptomatum concursum, ob apparentia aut epigenomena, unde praematurum habeatur judicium. Uno verbo consideranda sunt omnia illa naturae indicia vel signa, quae etiam in morbi decursu occurrunt. Quod si multa sunt dubia circa naturam et a-

gendi modum causarum praedisponentium, et occasionalium, quae ad morbum conficiendum possunt concurrere; plura ea sunt quae pertinent ad causam proximam, et maximum nobis relinquit desiderium ipsa definitio, quam Pathologi tradunt, cum illam desumant ab ea conditione corporis animalis, quae immediate constituit morbum, adeo ut mutata illa haec quoque mutetur, et illa sublata haec quoque tollatur. Igitur plane obscura est causa proxima plurium morborum. Nonnulli homines iisdem causis occasionalibus sese subjiciunt, et varios contrahunt morbos, eo quod diversa in ipsis aderat praedispositio. Tres personae temperamento sanguineo et athletica corporis constitutione donatae ab aeris ictu feriuntur; alter febre synocha, alter intermittente sthenica, alter pleuritide aggreditur. Tres hi morbi ad inflammationem pertinent; at differunt inter se quoad essentiam: sive hae tres personae corripiuntur a febri intermittente indolis sthenicae; at in prima febris est quotidiana, in secunda tertiana, in ultima quartana; ex eo nimirum quia, etsi similes in habitu exteriore corporis, dissimili idiosyncrasia instruebantur.

Si in morborum cura non semper hanc proximam causam cognoscere possumus, nihilo minus eorumdem medelae studendum est, ut nos edocet Frank: *Causarum non ubique tam evidens natura observatur, ac interdum earumdem ignari, non minus (intermittentium, scorbuti exemplo) morbum curamus.* Neque minus considerandae sunt mirifi-

cae illae mutationes, quas aliqui morbi in organicam humani corporis structuram inducunt.

Enimvero nonnullae facile hominem in eumdem morbum recidere faciunt, nonnullae autem ipsum diutius incolumem servant. Primis spectant phlegmatiae, haemorrhagiae, profluvia, nevroses, et aliquae cachexiae; secundis vero febres adynamicae, et exanthemata. Hinc praecipue medicus in diagnosi statuenda praecedentium morborum rationem habere debet, ut possit utiliter indolem aegritudinis inspicere, de qua judicandum ipsi est.

Quae cum ita sint, necesse est difficultates non ignorare, quas morborum diagnosis per se exhibet: hic sane praecipuus haberi debet scopulus, in quem solent incidere etiam praestantissimi artis medicae cultores. Neque vero negandum est, summo tam praeclarae scientiae damno maximos medicos magis occupatos fuisse in ordinanda et dividenda morborum serie, quam in indiciis statuendis ac finiendis, quae vere nos ducere possunt ad rectam diagnosim eruendam.

Quapropter liceat mihi brevissimo hoc specimine commilitones meos adhortari, ut in diagnosi conficienda ante oculos semper habeant ea, quae summatim colligere studui, et doctrinis observationibusque celebriorum medicorum inter se comparandis praecipue vacent. Illud in primis ipsi curent, ne propriam aestimationem in discrimen adducant, et aegrorum vitam praematura et inconsiderata judicii confidentia labefactent. Visus aciem intendant, et

Joannem Franciscum Valle cispadanum medicum admirentur, qui etsi a nativitate caecus, anno 1686 opus publici juris fecit *de signis distinctivis inter morbos, qui inter se habent similitudinem et affinitatem;* in quo fere ac si ipse acutiori donaretur oculorum facultate latinis versibus signa descripsit, quae maniam a phrenitide distinguunt, coma a lethargo, epilepsiam sympathicam a symptomatica, metritidem a cystitide, atque inter alios multos morbos illum hydrometrae ab anasarca, ut mihi placet suis ipsis numeris finem facere.

Communem patiens hydropem aequaliter omni
Parte tumet venter, fundum magis occupat hydrops
Hystericus; subito succedit foedus in illo
Pallor, et immodice macrescit corpus: in isto
Tam cito non pallet, nec tam propere extenuatur:
Ariditas linguae, nec non sitis urget in illo,
Quae tamen hystericum levius comitantur hydropem.
Denique in hoc flatus aliquid quandoque, vel unde
Per loca descendit muliebria, quod manifeste
In matrice mali sedem testatur inesse.

THESES PROPUGNANDAE

I.

Quibuscumque in febribus ante septimum icteri fiunt, malo sunt loco (Hipp. Lib. 4. Aph. 42) : at septimo, nono, undecimo, decimoquarto prorumpens, salutaris.

II.

Admittenda est doctrina Veterum de diebus criticis.

III.

Ab impedita perspiratione funestissimi morbi, et praesertim in foeminis, pertimescendi sunt.

IV.

Hydrops solidorum vitio magis, quam fluidorum oritur.

V.

Extrema diaeta non aeque noxia ac nimius cibus contra clarissimi Stollii sententiam.